ORATIO

DE

LITERARUM STUDIO IN PRIMIS GRAECARUM CUM JURISPRUDENTIA CONJUNGENDO,

QUAM HABUIT

ADR. CATH. HOLTIUS,

A. D. XXIV OCTOBR. ANNI CIƆIƆCCCXVI,

QUUM IN ILLUSTRI ATHEN. DAVENTRIENSI

JURIS PROFESSIONEM

AUSPICARETUR.

DAVENTRIAE

APUD J. H. DE LANGE

ATHEN. TYPOGRAPHUM.

CIƆIƆCCCXVII.

DAVENTRIAE

RECTORIBUS

ET

ATHENAEI

CURATORIBUS

AMPLISSIMIS

S.

ORATIO

DE LITERARUM STUDIO IN PRIMIS GRAECARUM CUM JURISPRUDENTIA CONJUNGENDO.

DAVENTRIAE CONSULES ET SENATORES, VIRI AMPLISSIMI!

ILLUSTRIS ATHENAEI IN HAC URBE CURATORES PRUDENTISSIMI!

CAUSARUM QUAESTOR, PRAESES, JUDICES, TRIBUNALIS QUOD IN REGIONE DAVENTRIENSI EST, VIRI SEVERISSIMI!

QUI COLLEGIIS ILLIS AB ACTIS ESTIS, VIRI CONSULTISSIMI!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

DIVINORUM INTERPRETES ORACULORUM, VIRI SANCTISSIMI!

DISCIPLINARUM DOCTORES ET MAGISTRI ERUDITISSIMI!

CE-

CETERI LIBERALIS DOCTRINAE CULTORES ET FAUTORES, OMNIS ORDINIS AC LOCI, QUOTQUOT ADESTIS, EXOPTATISSIMI!

BONARUM ARTIUM STUDIOSI, JUVENES LECTISSIMI!

AUDITORES HUMANISSIMI!

Ex quo, post renatas literas, in diverſas ſaepe ſententias itum est de cujusque doctrinae addiscendae ratione, graves ſubinde quaestiones agitatae ſunt de meliore ſtudio jurisprudentiae. Hanc alii, omnium artium quae ab humanitate ap-

appellantur auxilio indigere, alii iisdem artibus corrumpi, et a vero ſuo conſilio abduci, contendebant. Inde controverſiae, partes, ſectae, quae multum abest ut veri ſemper ſtudio cernerentur, exſtiterunt.

Nostrâ vero aetate, postquam Realistae atque Humanistae, (hisce enim nominibus utebantur qui barbaram rationem propugnabant), abierunt jam dudum, *quo Tullus dives et Ancus*, univerſe quidem conſtat, magnam eſſe literarum humaniorum vim, cum in unumquodque disciplinarum genus, tum in jurisprudentiam. Verumtamen, vel hodie etiam, de ratione quâ utrumque ſtudium rite conjungatur, non ſemper eadem est omnium ſententia, et quod Graecas in primis literas attinet, verbis quam re magis conſentire videntur.

Alii enim Graeca commendare ſolent, (ſunt autem liberaliores), eo duntaxat, quod ad antiqui-

quitatis Romanae studium magnopere juvant; alii, quod plurium Novellarum in corpore juris constitutionum textus, et Basilicorum libri, Graece scripti sunt. Quasi scilicet is operae pretium facturus sit, qui ad haec unice legenda, linguam Graecam addiscat.

Equidem ita semper existimavi, jureconsulto Graecas literas non minore studio, quam Latinas esse prosequendas. Etenim videbam continuo, quotquot aliquando civilis prudentiae famâ inclaruerant, hos non modo Latinis literis, sed plerosque etiam Graecis, sedulo operam dedisse; et quâ ego juris institutione ipse usus sum, ea hanc unice viam, tanquam utilissimam eandemque jucundissimam, indicabat.

Inde factum est, ut cum eandem in nobili illo edicto de institutione publicâ, quod anno superiore benignissimus princeps constituit, confirmatam et sancitam viderem, non possem non pa-

triae meae gratulari, quae jam pristinae gloriae ſpem recuperasſe videbatur; praeſertim in jurisprudentiâ, quâ majores nostri, quam haberent Rempublicam armis partam, legibus ſtabilire, et ſapientiae ſuae famâ immortalem reddere potuerunt. Atqui hoc grato ſenſu multo magis etiam commovebar; cum mihi, fateor praeter merita, ex amplisſimi hujus ſenatus munificentiâ contingeret, ut illius praeclari inſtituti particeps fierem, et juris docendi provinciâ in illustri hocce Athenaeo, tantis nominibus claro, ornarer. Quam iccirco, more veteri, oratione auſpicaturo, non incommodum mihi viſum est dicendi argumentum, juris ſtudii cum utroque literarum genere ſocietas. Itaque verba faciam: *de literarum ſtudio in primis Graecarum cum jurisprudentiâ conjungendo.*

Hu-

Hujus autem argumenti, A. A., partem aliquam illâ video obſervatione contineri, historiam cujusvis doctrinae, optimam esſe ejus interius percipiendae rationem. Investigando enim quibus ex initiis, per quas viciſſitudines, ejus conditio praeſens exſtiterit, ultro eo adducere, ut quaeras quae de ejus naturâ homines variis temporibus opinati ſint, quibus ſubinde principiis totam doctrinam, tanquam fundamento ſuperſtruxerint; quemadmodum ſingulas ejus ſententias regulasve inde deduxerint, quibus adjumentis et opportunitatibus uſi ſint et adducti, ad eas inveniendas. Ita apprime poteris intelligere, quid maxime valuerit ad illam provehendam, eamque rationem ipſe ſequi; ita errores quibus aliquando depravata fuerit aut retardata, cognoscere, eosque cavere; principium quod firmum ſit invenire, quod ei conveniat ſeligere, ſeponere, ordinare; quod disciplina tua alienum asciverit reſecare, quod ei

ex-

exciderit vindicare; atque ita tibi imaginem ejus animo infigere fuis partibus abfolutam, quae fimplicitate pariter placeat ac varietate, quaeque aeternas veri leges exprimat.

Quod, fi univerfe probabile fit, maxime etiam de jurisprudentiâ valere puto. Illam enim, quâ hodie Europae populi utuntur, effe ab antiquitate profectam, neminem fugit. Jus civile Romanum omnes five immutando fecerunt patrium, five in fuarum legum fubfidium folent adhibere. Ejus regulis etiam nunc tam interpretandi, quam judicandi, pasfim ftrepunt tribunalia; auctoritatem ejus ipfi legum conditores continuo fequuntur. Hinc merito et majorum et noftrâ quoque memoriâ, femper jus Romanum in univerfae jurisprudentiae prolufione pofitum est. At quum fit illud e Graecis non minus quam e Romanis fontibus ortum, legibus et fcriptis jureconfultorum congestum, non unius faepe faeculi intervallo a fe in-

invicem remotis, et non uno Republicae statu latis et compositis: quomodo velis ad ejus notitiam pervenire, si in omnes antiquitatis recessus non penetraveris, si linguas Graecam et Latinam non sedulo didiceris, mores populi, cultus incrementa, fata ejus, et conversiones in Republicâ, quae tanta universae Historiae pars sunt, non pervestigaveris, verbo, si quidquid hodie humaniorum nomine literarum continetur, omni mentis intentione persequendo, non ipse quodammodo antiquus factus fueris?

Quodsi ex ipsis fontibus ducere jurisprudentiam velimus, e dictis jam patet, A. A., antiquas literas, nec minus Graecas quam Latinas, sedulo esse tractandas. Sed est alius etiam, longe uberrimus earundem literarum fructus, qui ipsâ cernitur hominum gentiumque perfectione.

Eo ferri tempora nostra puto, ut internam aliquando hominis rationem civitatis leges referant,

ut

ut utilitatem non solum, aut plurimorum voluntatem respiciant, sed ad humanae naturae dignitatem tuendam, quae libertate consistit, tanquam summum finem, contendant. Hujus sane imperii tempus nondum venit, sed propius abesse multa declarant. Monuit quidem ultimum superioris saeculi vicennium, verum homines suae libertatis usum nondum nosse: at fracta etiam ubivis tyrannis, abolita, frustra renitente avaritiâ dominorum, servitus, reges virtutis foedere juncti, crescentem saeculi humanitatem arguunt. Leges igitur si ad humanam dignitatem et rationis praestantiam nondum conformari possunt, homines sunt ad legum emendationem informandi. Ab eruditione et institutione, priorum temporum medela jam repetetur, atque unice expectabitur. Iccirco illa non ita deinceps erit comparata, ut privatas utilitates, quaestum, mercaturam, artem, munus quoddam aut officium spectet, et

ju-

juvenes ad eam metam delati finem jam attigisse institutionis suae sibi videantur: sed id agetur, ut qualicumque se arti vitaeve rationi addicant, in quâcunque sive privatâ sive publicâ conditione versentur, optimi semper homines et sint et habeantur. Ita instituentur, ut ipsis totius vitae curriculum sua schola sit, quâ ad humanitatem et naturae sublime consilium continuo evehantur. Quod ut fiat, mature et a tenerâ inde aetate in juvenum animis excitabitur ille pulcri venustique sensus, quo, tanquam vinculo, naturae conditor in homine rationem et cupiditates, quantumvis sibi adversantes, consociari voluit, ut utraeque facultates ad ejus perfectionem conspirent atque consentiant. Ille autem pulcri sensus, cujus tanta vis est in homine erudiendo, viguit inter Antiquos; illo ad nil non praeclarum et sublime patriae, virtutis, honesti causâ suscipiendum, incitabantur. Cernitur ille in eorum moribus, le-

gi-

gibus, opinionibus, universâ vitâ; ſpirat adhuc cum in iis artis operibus, quorum reliquiae omnium omni post tempore et mentes et oculos defixos tenuerunt, tum ſcriptis illis, quorum monumenta, tanto ſaeculorum ſpatio, multi quidem admirati ſunt, nonnulli etiam imitati, aequare vero adhuc potuit nemo.

Illam autem Graeciam penitus fuiſſe ab omni recentioris Europae ratione diverſam non infitior, neque is ſum qui eam dicam in omni genere noſtri temporis hominibus palmam praeripuiſſe. Solummodo dicam: ſi pulcritudo ſit tam potens virtutum effectrix, Graeci autem prae caeteris tam antiquis quam recentioribus eam ſenſerint atque expresſerint, a Graecis literis esſe omnem animi ingeniique cultum repetendum. Haud facile haec eorum praeſtantia in dubium vocabitur; ſed quo interius percipiatur, in ejus nunc cauſas oculos conjiciamus: ſic ſimul apparebit, quid ita

An-

Antiqui et Recentiores differant, quibusque illi felicisſimis opportunitatibus ad tantam ſui perfectionem pervenire potuerint.

Graeci ab ipſâ naturâ acceperunt prima humanitatis ſemina. In terrâ habitabant amoenisſimâ, celſis montibus distinctâ et vallibus perpetuo vere florentibus, ubi mitisſimo coelo et luxuriante ſolo uterentur. Cujus jucundisſimae naturae cum intimâ familiaritate, et ut ita dicam, necesſitudine verſarentur, ut primum ſenſibus percepta verbis exprimere ſtuderent, fieri non poterat, quin continuo imaginibus a naturalibus rebus deſumtis, affectus istos exprimerent. Progresſi deinde ad notiones rerum incorporearum, divini numinis, animi facultatum, naturae virium nondum intellectarum, et quaecunque communis vitae experientiam excederent; eandem rationem ſervarunt, ſed pulcriorem illam fecerunt et augustiorem. Sic ſenſim ſenſimque doctrina illa mythologica extitit,

omnisque rerum natura veluti frequentata est illâ deorum heroumque familiâ, quae Veterum poëſi tam laetos affudit colores, quos Recentiores, non eodem quo illi ſenſu moti atque inſpirati, nequicquam imitari conantur. Atque ita factum est, ut naturae res ad ea quae mente concipiuntur transferrent, eas nobilitarent et ſublimiori formâ induerent; mente vero concepta ad naturam accommodarent, eisque materiam attribuerent: quâ ratione felix illa apud ipſos naturae et mentis conjunctio exſtitit, quâ pulcrum quodvis et praeclarum concipere et exprimere potuerunt.

Praeterea vero Graecis neſcio quo fortunae favore contigit, ut populi, ipſo juventutis flore, ſuam humanitatis vitam vivere inciperent, cum animi et corporis facultates illis integrae etiam tum erant et infractae, cum ſummo libertatis ardore inflammati nil non magnum continuo appeten-

tentes, belli gloriam nullo non periculo, morte etiam, redimere audebant. Admirabili huic felicitati Homerum et Pindarum, Herodotum et Thucydidem debuerunt, eâ jam populi aetate florentes, quâ Recentioribus densâ barbarie obrutis, feritatem suam societatis fructu mutare, nondum in mentem venerat. Hi enim neque ex iisdem initiis quibus illi profecti, neque eâdem viâ progressi sunt. A religione majores nostri suum ingenii cultum acceperunt, simplici quidem eâ ac sublimi, sed in homines incidente ad ejus praestantiam percipiendam parum idoneos. Hi ritus et caerimonias pro verâ doctrinâ consectantes in nullas non superstitiones lapsi sunt, quibus eam brevi incredibiliter depravarunt. Itaque factum est, ut sacrorum et religiosae vitae male studiosi contemnerent continuo, quidquid hujus vitae erat, qiudquid sensibus gratificari, et a coelesti itinere animum abducturum videbatur. Sic to-

totos se ad contemplandum et meditationes, quotquot aliquo lumine collustrari coeperant, converterunt. Quo quidem pravo religionis studio impellebantur continuo, ut solitudines peterent, et ab omni hominum consortio remoti vitae futurae perpetuo inhiarent, peccata peregrinationibus et laboribus redimerent, armati in longinquas regiones ruentes coeli sibi viam munire viderentur; artium vero, Historiaeque studio, non poterat in his animis locus superesse. In eo genere tum demum proficere aliquid coeperunt, postquam deferbuerat jam multum ille religionis ἐνθουσιασμὸς, cum in Italiâ primum, et uno alteroque saeculo post in Franciâ caeterisque Europae regionibus, antiquarum literarum, praesertim Graecae linguae, studium natum erat et in dies crescebat. Tum vero juventutis ἀκμὴ populorum jam cessaverat, morum simplicitatem, quae ingenii cultum videbatur exspectare non posse, luxuries et mol-

mollities exceperant. Manebat interea originis et primi impulſus vis et efficacia, alio tantum converſa, alia arripiens. Quae hactenus ad ſacrarum literarum dogmata et religionem inclinaverant hominum ſtudia, jam in naturae arcanis explorandis atque extricandis philoſophiae ſubtilitatibus tota fuerunt. Hinc etiam philoſophia noſtrâ aetate, poſteaquam jam dudum omne humanitatis lumen quaquaverſum diffuſum erat, tantis brevi incrementis aucta fuit, ut niſi infinitum eſſe humanum ingenium cogites, ultimos illam prope ſui terminos attigiſſe, nec poſteritati quidquam reliqui feciſſe exiſtimaveris.

Ex illâ igitur diverſâ Antiquorum et Recentiorum proficiendi viâ et ratione, ex illis diverſiſſimis quibus uſi ſunt opportunitatibus, effici quodammodo poterit, quid de utriſque ſit exiſtimandum. Quidquid naturam refert et a naturae imitatione ſuam praeſtantiam habet, in eo Antiqui: quid-

quidquid vero intimâ tantum cognitione, attentâ animi cogitatione asſequi licet, in eo Recentiores esſe principes videntur. Illi artibus, poëſi in primis et eloquentiâ, hi naturae ſcientiâ, historiae veritate, philoſophiae ſubtilitate praeſtant. Paucis, elegantiae illi, hi diligentiae laudem meruerunt. Caeterum ut Antiqui acerrimo illo valebant pulcri venustique ſenſu, ita placere non potuerunt Recentiores niſi illorum ſtudio exercitati. Picturâ enim et ſculpturâ illi maxime excelluerunt, quibus magis quam caeteris antiquae artis monumenta in oculis erant; eloquentiâ et poëſi qui ſe Veteribus informandos tradiderant. Celebratisſimus Italiae poëta Petrarca, idem fuit Latinarum literarum in patriâ ſuâ inſtaurator. Boccacius patriâ oratione inter ſuos homines hactenus princeps, Graeca exemplaria et legendi et colligendi ſtudiosisſimus erat. Franciae ſcriptorum elegantisſimorum cohortem non enumero: ſunt enim in manibus om-

omnium; neque Anglorum ſuperioris ſaeculi, aut Germaniae noviſſimâ aetate praeclara ingenia. Nostri homines non uno in genere quot et quanti fuerunt! omnes autem nocturnâ diurnâque manu veterum volumina verſabant.

Patere arbitror A. A. ex totâ hac nostrâ disquiſitione, qualis fuerit antiqua illa Graecia, quam Graecis naturâ diſſimiles fuerint recentiores Europae gentes, quamque neceſſe ſit, ut antiquis tractandis monumentis et pulcri imbuamur ſenſu et ad verum proficiamus cultum atque perfectionem. Uberius autem hac de re dixi, quandoquidem jurisconſultus, qui vere ſic vocatur, unus in paucis maxime erudiendus excolendusque videtur. Etenim non intelligimus hoc nomine juris legumque peritos, qui in causſis agendis eximie verſantur: illos ſignificamus *jurisconſultos*, qui et hanc bene teneant disciplinam, et ſimul res univerſe ac jura gentium interius perſpicientes,

vel ipsi rebus politicis praesunt, vel juvenes ad publica obtinenda munera informant, omninoque principibus quibusque viris consilio suo et prudentiâ prosunt. Hujusmodi sane jurisconsultos, ut nomen revera suum tueantur, prae caeteris plerisque hominum generibus excultos esse oportet. Scilicet interesse puto, ut in primis humani et sapientes sint ii, a quibus plurimi pendeant, ut qui plus possunt, ii etiam plus nôrint, et quorum curae Respublica committitur, ii et rerum et hominum rationes plurimum perspectas habeant. Quoniam autem omnis Reipublicae recta procuratio in justitiâ atque aequâ officiorum distributione versatur, nostrâ aetate, cum tam varia sint et multiplicia negotia publica et privata, omniaque in dies subtiliore ratione agantur agendaque videantur, invaluit, ut jureconsulti maxime apti dignique ad illam procurandam haberi soleant, et eorum ductu qui prudentiâ civili non pollent sese con-

continuo adjuvari patiantur. Cui est consequens, ut rectâne deinceps an pravâ Reipublicae administratione, bonis an malis legibus, justis an iniquis judiciis, verbo, societatis humanae commodis, necne, simus usuri, ab ipsorum institutione jureconsultorum vel liberali et humanâ, vel illiberali et mercenariâ exspectandum sit.

Primum igitur jureconsultus, qui severâ ratione, quemadmodum nunc constitutum est, proficere studet, cum Cicerone * *juris constituendi exordium ab illâ lege capiet, quae saeculis omnibus ante nata est quam scripta lex ulla est, aut quam omnino civitas constituta.* Ante omnia in humanam naturam inquiret, ejus facultates, desideria, motus, actiones, et quid tandem, ratione judice, homo ab homine exposcere possit, definiet. Sic obligatione naturali metietur leges civiles, eamque sibi nor-

* *de Legibus.* Lib. I. C. 6.

mam conſtituet, quâ primario loco dijudicet hominum negotia; ſic item gentes quâ inter ſe mutuâ conditione, quâque agendi ratione uti deceat, intelliget. Ad hoc autem ſtudium ſi veterum, praeſertim Graecorum, lectionem adhibeat, quam utile erit illud ipſi, quamque patriae fructuoſum! Apud veteres vita privata erat cum Republicâ arctisſime copulata: quidquid ad patriam pertinebat, id cuncti cives ſuum esſe, et ipſos non minus ſingulos, quam univerſos ſpectare existimabant. Patriae amor ipſis antiquior erat, quam parentum liberorumque pietas aut caritas conjugum. Ejus gloriam ſuae quisque auctoritati, potentiam privatis opibus anteponebant. Quidquid ejus cauſâ ſusciperent, id ipſi prodesſe videbant, atque omnium ore audiebant celebrari: in patriâ omnino diligendâ ſuam quisque vim maxime ſentiebat. Accedebat plenisſima ſingulorum hominum, plenisſima populorum libertas, quâ omnes Graeciae

ci-

civitates inter ſe conjungebantur. Hinc cogitandi facultas ut ſe primum in hominum animis exſereret, Rempublicam omni intentione amplectebatur, neque hominem niſi cum civitate conjunctum conſiderabat. Ita ſententia conſtitit inter omnes, ad hominis exemplum Rempublicam conformandam atque procurandam eſſe. Notio ista dominatur in illâ optimae civitatis effigie quam a Platone adumbratam habemus, cujus philoſophia politica temporis olim ſuperſtitione vel neglecta vel depravata, reviviscere deinceps in cultioribus populis coepit, et magis magisque, uberiore veluti in ſolo, in animis hominum radices agere, fructusque aliquando uberrimos latura videtur. Eâ enim continetur, et mirificâ ac ſingulari plane orationis facundiâ exprimitur, conjunctio illa repugnantium in homine facultatum, rationis atque cupiditatum, cujus ſolum ope justae civitatis justi eſſe cives posſumus, praeterea nullâ. Spirant haec placita in

ple-

plerisque Ciceronis scriptis, maxime in libris ejus de Legibus, omnesque illa hodie melioris notae jureconsulti maximopere demirantur. Quodsi haec Platonis philosophia, quam aegri capitis somnia nimis diu profecto multi putarunt et etiam nunc putant, ad nostra tempora accommodata veluti postliminio revertetur, nemo erit in posterum jureconsultus, nisi qui de stillicidiis unice aut tigno juncto cogitat, qui non otii sui et industriae partem ejus studio deberi putet. Hocce vero studio fiet, ut quibus leges interpretandae atque applicandae committuntur, ii etiam dum caussas legum considerare discunt, legesque emendandi et ad crescentem humanitatem conformandi auctores esse volunt, illâ simul imbuantur prudentiâ, moderatione, constantiâ, justitiâ, virtute, sine quâ tanta res suscipi nec debet nec potest.

Leges autem emendare et ad procedentem humanitatem conformare, hoc nimirum nobile con-

sti-

ſtituit vinculum, quo cum philoſophiâ et omni doctrinarum genere jurisprudentia copulatur. Quidquid illa pervestigandâ humanâ naturâ invenerit, explicuerit, praeceperit, id jureconſulti est, ad vitam communem accommodare et veluti ſanciendo confirmare, ut quod hactenus intimis animi receſſibus erat abditum, ejus ope evigilet et agat. Non igitur ſufficit omnem cogitandi vim ad aeternas rationis leges, quibus actiones hominum regi debeant, adhibuiſſe, ſed ſocietatis civilis cognitio industriam nostram ſibi proxime vindicat.

Et ſponte ita accedimus A. A. ad Historiae disciplinam, quâ non minus profecto quam Philoſophiâ imbutum eſſe decet jureconſultum: imbui autem rite non potest, ſine justo antiquarum literarum ſtudio. Etenim cum non ita comparata ſit natura nostra, ut intellectu tantum et judicio qualemcumque artem asſequamur, in jurisprudentiâ in primis tractandâ ad ſaeculorum nobis experientiam con-

confugiendum eſt, et Hiſtoriae auxilium arceſſendum. Verum enim vero quantum intereſt ad hujus diſciplinae fructum, ut de ejus ſtudio recte exiſtimemus! Certe, ſi Hiſtoriam, tanquam factorum longam ſeriem et temporum diligentem enarrationem, annorum numeris veluti punctis interſtinctam, conſideramus, non erit ſane ejus uſus qui tantos labores compenſet. At, ſi rerum cauſas ex ipſis monumentis, et ubi illa deficiunt, (deficiunt autem ſaepe), caute et prudenter analogiâ et ſimilitudine exquirimus; ſi iis rebus naviter in primis operam navamus, quae in praeſentem populorum conditionem vim et efficaciam habuerunt; ſi eo ſemper annitimur, ut quod fortuito eventu exſtitiſſe videtur, e rerum humanarum conditione explicemus, ac, Polybianâ ratione mentis noſtrae imperio experientiae regiones ſubjiciamus, tum demum docebimur, tum vero delectabimur Hiſtoriâ. Illuſtrat ita ingenium

nos-

nostrum, et inflammat animum honesti ardore. A vulgari et humili rerum aestimatione mens desuefacta, cum veluti in tabulâ pictâ temporum et populorum imagines contempletur, temere atque illiberaliter aetatis opinione quidquam metiri, aut suâ utilitate ponderare, dediscet. Historia hominem conjungens cum antiquitate remotissimâ, eum simul mentis acie futuris interesse saeculis permittit. Sic breve vitae spatium producit, ejus fines ultra fata profert, ac populorum interitum, hominum genere servato, quod immortalitatis simulacrum est, consolatur.

Ita de Historiâ existimarunt Veteres. Hanc ejus imaginem adumbrarunt scriptis ipsi suis antiqui Historici. Nec est sane, A. A., ut his ejus laudibus aliquid addam. Vetat enim cum praeclarissimae disciplinae majestas, tum infantia mea. Et sponte videtis, lucem hancce veritatis, testem temporum, vitam memoriae, magistram vitae,

nun-

nunciam vetustatis omnium minime deësse oportere jureconsulto. Illud vero nobis non praetermittendum, huic in primis ex ipsis fontibus ducendam esse omnem Historiae cognitionem. Iureconsulti enim, si cujusquam, interest, ne incerta sit et fluctuans sua scientia. Ei, si leges Romanorum nosse debet, historiam Romanam ignorare non licet. E conditione Reipublicae pendet legum ferendarum ratio; ad eam saepe ipsae leges aut unice pertinent, aut duntaxat respiciunt; legibus fortuna publica, bella, seditiones, patrum insolentia, plebis licentia, aerarii inopia, severitas aut corruptela morum, alia quaevis causa, plerumque ansam dedit. Haec autem a scriptoribus Romanis non eâdem, sed ab aliis aliâ ratione memoriae prodita esse, neque ipsis omnia, sed majorem etiam partem Graecis deberi, novimus. Ergo omnes diligenter explorandi, nec Latini magis quam Graeci legendi sunt,

ſunt, ſi quidem auctoritatem cujusque ſcriptoris aestimare, ſi verum undecunque eruere oporteat. Livium continuo legimus et Tacitum, utrumque ſane cum magnâ tam voluptate quam utilitate; Vellejum etiam, Florum, Suetonium, alios, neutiquam negligendos. Attamen quantum abest, ut ex hisce historia Romana percipi posſit! Antiquisſima ejus aetas ſub regibus, Dionyſio Halicarnasſenſi fere debetur et Plutarcho; bella Punica probe demum cognoscimus, Livii narrationibus cum Polybio comparatis. Quis enim a Romanis res Romanas vere ſcriptas esſe, aut etiam ſcribi potuisſe putet? Quantopere alius patriam celebrandi, alius principi adulandi ſtudio indulſerunt! Magna est merito apud nos auctoritas Hooſdii et Wagenaerii: at ſi hos de rebus majorum memoriâ gestis ſolos conſulueris, Thuanum vero, Stradam, Burgundium, Meurſium, Hopperum, caeteros, neglexeris, vide ne ſubinde avorum laudes edidi-

cisse magis, quam res eorum pervestigasse videaris.

Sed alio etiam nomine Graecorum studium Historicorum jurisconsulto se commendat, vel nullâ habitâ juris Romani ratione. Fuit illa Graecia quae nunc barbarie oppressa jacet, ut supra diximus, libertatis olim sedes, et liberis civitatibus communi foedere consociatis plena. Felicissima profecto opportunitas, quae ad legum et Reipublicae studium, ad artem omnino politicam, animos hominum suâ sponte converteret! Huic vero studio uti Platonem debemus et Aristotelem, ita, cum cogitatis dictisque hominum raro sua in populum vis deësset, in leges civitatis et regiminis formam jam mature multum valuit. Ita factum est, ut leges istae Antiquis imitatione, Recentioribus omni curâ et labore dignae semper habitae sint. Lycurgi et Solonis instituta a se invicem non minus quam a nostrâ ratione diversissima, a renatis inde

de literis, Philosophis, Historicis, Jurisconsultis et Politicis admirationi et studio fuerunt et etiam nunc sunt. Machiavellii, Grotii, Montesquivii, Humii, Schilleri scripta innumeras continent observationes, comparationes, regulas et conclusiones, e Graecarum legum studio natas. Illorum tamen curas jureconsulto plane ignorasse, non est turpius, credo, quam auctoritatem sequi semper, et linguae inscientiâ, tanquam magistrorum in verba jurasse, periculosius.

Audire aliquem hic mihi videor dicentem, peritos esse posse jureconsultos Graecarum literarum penitus ignaros, contra Graeca probe callentes, juris tamen parum consultos. Fateor: imo affirmo, excellentes nonnunquam fuisse jureconsultos, qui non essent Graeca docti. Sed attendas accuratius eorum ingenia, studia, labores: videbis totos se illos insinuasse in antiqui aevi mores, consuetudines, cogitandi, scribendique rationem:

et quamvis Graecos non legentes ſcriptores, quod institutionis vitio non poterant, illa ſtudioſiſſime tractaſſe Latii monumenta, quae Atticae rationem et veluti ſalubritatem maxime ſpirarent. Probarunt ita ſtudiis ipſi ſuis, quantae ſit jureconſulto utilitatis, Graecarum literarum non eſſe expertem. Quod autem dicitur, Graece reperiri peritiſſimos, qui parum ſint jure conſulti: doleo, ſed quis tandem contendat ſufficere ad jurisprudentiae facultatem Graecae linguae peritiam? Neque magis moveor eorum ſententiâ, qui verſionum ope ſcriptores Graecos legi ſatis commode et intelligi poſſe opinantur. Etenim qui ſic exiſtimant, non vident, quam ſit varium de eo quod ignoras judicium, deinde ipſorum qui verterunt conſilium neſciunt. Verſiones illae, egregiae ſubinde, eorum quidem causâ magnam partem compoſitae ſunt, qui non poſſunt ad fontes recurrere, non ideo tamen, ut illi ne fontes iſtos deſiderent: ſed

ut

ut derivato ex fluvio gustantes, limpidioris amnis lymphas sitiant, ut rerum gravitate, orationis specie excitentur ad interiorem sibi earum cognitionem comparandam, et nativos imaginum colores contemplandos. Et vero si quis Graecorum librorum versiones omnino sufficere contendat, quidni idem de Latinis affirmet? Et hos etiam plerosque pulcrâ, ut ajunt, veste ornarunt Recentiores. Ipsarum adeo Pandectarum versiones Francicae et Germanicae cum diligentiâ et fide conscriptae extant. Sed haec mittamus et nostrâ deinceps viâ procedamus.

Ut tantae sunt cum utilitatis tum necessitatis rationes quae jureconsultum impellant, et cogant paene, ut literarum societatem ad juris et publici et privati studium conferat, utriusque item juris tractationem, sive ea forensis sit, sive mediâ in Republicâ versetur, literae illae egregie amplificant. Virtus enim eximia illa, qua Antiqui-

tas universa prae Recentioribus excellit, nullo in genere magis cernitur quam eloquentiâ. Quod quidem nemini mirum videbitur opportunitates hujus artis reputanti, quae apud Veteres tantae fuerunt, apud nos fere nullae sunt. Apud illos in concione populi audientibus aliquot hominum millibus dicebatur. Populo flectendo oratores Rempublicam moderabantur, et sibi summos honores inter aequales, immortalitatem apud posteros pariebant. Quanti stimuli ad omnes animi facultates intendendas! *Demosthenem audiendi causa concursus fiebant ex totâ Graeciâ* *; dicendo ille universae Graeciae vires unus opposuit Philippo †; dicendo idem immortalitati commendavit nomen suum. Accedebat materies, sive de Republicâ, sive apud judices diceretur, liberior, et ut ita dicam, solutior. Rerum administratio simplex

erat

* Cic. *de claris Oratoribus.*

† Plutarch. *Demosth.* Cap. XVII.

erat et paucis legibus adſtricta; ab opinione et voluntate populi pro re natâ jubentis plerumque pendebat. Quam ſecus hodie! Omnia legibus praefinita, diligenter compoſita, veluti machinis moveri atque dirigi videntur. Omnia diviſa atque disſecta habemus: ſingula in ſuo genere perfectè exculta, parum tamen ad totius conſenſionem conſpirantia. In ſuo quisque munere gerendo verſans, ad munus istud ſuas ingenii vires confert, tantâ plerumque ejus curâ occupatus, ut cujus illud pars ſit raro videat, et communis omnium conſilii immemor, utilitati alicui, eique ſatis humili ſaepe, toto pectore incumbat. Cujus utilitatis ſtudio eo adducimur, ut patriae fere obliti nobis ipſi unice, aut quo nomine res illa honestari ſolet, familiae nostrae, conſulamus. Conſequens est, ut, cum de eo quod non ſentitur, dici deſierit, eloquentiae civili digna materies deficiat, atque nobilis illa ars inter Recenti-

ores jacere prorſus videatur. Verumtamen caveamus, ne ideo illam aut omnino ſupra nos poſitam, aut jam inutilem factam esſe opinemur. Si dicendi deſit, ſcribendi manet copia et materies, et latius haec hodie patet et uberior est, quam fuit apud Veteres. Hi Graecis et Romanis dicebant, nobis commercium omnium gentium ubivis terrarum patet. Horum egregia in quovis genere opera multa aetatem non tulerunt; nostra quidquid oblivione eximi meretur, arte typographicâ quaquaverſum defertur, et ab interitu, ut jure ſperamus, vindicatur. Neque ſemper dominabitur abjectum illud utilitatis ſtudium, quod prava philoſophia et rerum divinarum contemtus genuerunt. Libertate in Europa reſtitutâ, omnibus culturae impedimentis quae tyrannis ſtruxerat remotis, ſaniores notiones existunt in dies et longe lateque propagantur. Principes et reges doctrinam provehunt liberaliter atque defendunt: ejus ope religio,

mo-

mores, jus, suam sedem in hominum animis recuperare debent et possunt. Hoc autem juvare liberale consilium, idque in Republicâ procurandâ, et legibus ferendis atque interpretandis omni ope provehere, in primis decet jureconsultos. Quod ut fiat, illa sane ars nobis curae esse debet, quae tota ad persuadendum est comparata. Exulare debet rabularum deformis oratio foro et conciliis: simplex illa substituatur et elegans, quâ veteres Graeci et Romani hominum intimos animi sensus movere, et, quae sola justa est eloquentiae vis, persuadendo sibi subjicere solebant. Legamus igitur atque sedulâ manu tractemus exempla illa, in quibus tanta formae majestas enitet. Et vero sic ea tractemus, ut tantae sensu perfectionis imbuti, illud semper intueamur pulcrum, quod in omni genere inest, quodque, ut eloquentissimus ille Romanorum: „ neque oculis, inquit, neque auribus, neque

„ ullo ſenſu percipi poteſt: cogitatione tantum „ et mente complectimur."*

Hujusmodi eſſe videtur, A. A. quae jurisprudentiae cum literis intercedit, neceſſitudo. Nec vero minus literis prodeſt jurisprudentiae, quam jurisprudentiae literarum ſtudium. Sed, ut hoc a propoſito argumento alienum est, ita ſilentio non praetermittendum, utraque haec ſtudia pari habenda eſſe honore, nec, ut nonnullis placet, alterum alteri ſervire. Parum profecto liberaliter ita de praeſtantiſſimis rebus existimemus. Equidem cenſeam neutrum neutri praeferendum, utrumque eodem animi ardore amplectendum eſſe, nec mehercule a jureconſulto magis humaniores literas, quam ipſam humanitatem, ſuae disciplinae famulas haberi oportere. Sed ne provinciae meae fines transgrediar, eo

nunc

* Cic. *Orat.* II.

nunc accedo quo tempus et officium jam dudum me vocant.

Vobis primum, Curatores amplisſimi, qui tanto me honore ornastis, religioni habeo ostendere, quid me debere putem. Munus quod vobis deferentibus accepi magni facio. Nimirum disciplinae inſtitutio mihi delata est, ad humanitatem literarum connubio propagandam comparatae. Studium ſane gravisſimum, in quo hominis aetas facile conſumatur: ſed ſuâ etiam amoenitate eum recreans continuo atque reficiens. Equidem ingenue fateor, nihil optatius mihi accidere potuisſe quam ut in illo ſemper ſtudio verſarer, praeſertim eâ, quae nunc mihi data est, opportunitate. Generoſae juventuti, quae Reipublicae ſe et justitiae addixit, comes et dux additus ſum. Sic doctrinas illas, quas hactenus alio ſaepe avocatus, ſubſecivo tantum tempore et feriando tractare potui, posthac unice proſequar. Quidquid profece-

ro, continuo in aliorum utilitatem conferam; quidquid ex legibus et ſcriptoribus hauſtum meditando meum reddidero, omne id ſemper cum aliis communicabo, eâ ſpe gaudens, non omnia intra parietum umbram occulta fore, ſed ad vitae uſum et hominum emolumentum aliquantulum collatura. Hac ego ſpe inductus, neque labori, neque tempori, neque industriae parcam, ut vana ne ſit vestra de me exſpectatio, utque praeceptoribus meis non omnino indignus videar diſcipulus. Horum ſtudio virorum quidquid ſum aut poſſum me debere, grato animo testificor. Vestra quidem laus, Rhoeri, Arntzeni, Heusdi, meo praeconio non indiget: ego vero, ne dedignemini, vestra in me collata beneficia quanti faciam, aveo palam profiteri. Si ego jurisprudentiae cum literis humanioribus neceſſitudinem quantulumcumque perſpectam habeo, ſi mihi germanae philoſophiae ſenſus non omnino deest: Rhoerio id acceptum re-

refero. Si juris Romani praeſtantia me ad ipſius ſtudium advertit: Arntzenium audienti primum mihi placere hujus juris dotes coeperunt. Heusdium vero qui poſſim non commemorare! cujus inſtitutionem nemo facile discipulorum, quotquot ad eum audiendum convenire ſolent, non libenter recordabitur: mihi certe illa nunquam animo excidet. Adolescentulum me, omnis elegantioris doctrinae expertem, ille maxime docuit, quantum Historiae auctoritas, Antiquitatis gravitas, Poëſeos forma et venustas ad vitae felicitatem dignitatemque valeant; ut ſi in his literis aliquid ſtudii poſui, id eo auctore et commendatore fecerim. Ille me deinde, quae tum erat temporum iniquitas, a Muſarum conſortio paulisper divertentem, ne literas deſererem, humaniſſime monere nunquam deſtitit. Caeterum, quod mihi antiquisſimum est,. quem discipulum erudiendum ſusceperat, eundem me in amicis ſuis haberi voluit.

luit. Plura viri de me merita non refero, horâ magis quam re deficiente. Vos ignoscite mihi, viri amplisſimi, in recordatione gratisſimâ honestisſimâque longius immorato; reddendum erat beneficium: *reddit autem qui libenter debet.** De provinciâ vero mihi traditâ, quid pollicear, habetis. Equidem juvenis ſum, tirociniis vix egresſus; ſed juvenili ardore quae mihi incumbunt officia explere ſtudeo. Parum abest ut tanto muneri impar ſim; at quod vires meae nunc ferre recuſant, voluntate et ſtudio levatum vestris aliquando auſpiciis exſequar. Ergo vestrâ etiam prudentiâ me regatis, vestris me conſiliis adjuvetis, quaeque vobis hujus augustae ſcholae cura est, eâ me quoqtte complectamini. Quidquid vero ſive literarum, ſive Reipublicae et civitatis cauſa gesſeritis, id omne Summi Numinis benignitas felix faustumque faxit, enixe precor.

Vos

* SENECA *de benef. Lib. I. C.* 1.

Vos jam compellaturo, Viri eruditissimi, hujus Minervae sacerdotes, variâ mihi commotione animus afficitur. Dolet, quod deësse video consessui vestro, omnium in hac urbe, et vestrum praesertim desiderium, CHERNACIUM. Coelo jam beatum doctum senem flere quidem nos vetamur; sed mores ejus amabiles, ingenium, doctrinam requirentibus amicis, dulcis est viri recordatio. At vero, ut huic Athenaeo et vobis et mihi ipse gratularer, fecit senatus illius provida cura, quâ tanta clades mox reparata est. Adlectum vobis virum habetis, qui si CHERNACIUM amissum non consolatur, unus in paucis habetur, pace ejus adsidentis dixerim, qui tantum virum excipiat dignissimus. Quod ad me attinet, ubi ipsum et vos adspicio, et meam reputo tenuitatem, cujusque in locum vobis adscriptus sim, metuo plane. Nimirum viris auctoritate, doctrinâ, sapientiâ, vitae usu, famae ce-

celebritate excellentibus collega accedo, collegam ipsis desideratissimum excipiens. Ego vero vobis facultate quidem minime par, studio tamen atque exercitatione praestantiam vestram imitari connitar. Quare hoc etiam mihi persuasum habeo, quâ estis humanitate, juvenem me non despicietis. Scio equidem et lubentissime confiteor, quem collegam habuistis et amicum, ingenio non minus et doctrinâ, quam moribus vobis probatum, hunc me compensare nullo modo posse; at, quo ego quoque amico glorior, cujus dulcissimâ affinitate gaudeo, ejus causa me nunc in vestrae familiaritatis, et, si dignus videar, amicitiae societatem admittite. Sic fore confido, ut vestrâ consuetudine informatus, vestro exemplo incitatus, nihil unquam molestum, nihil ultra vires meas existimem, quo ad hujus Athenaei emolumentum, et commune humanitatis consilium, aliquid conferre potero.

Ad

Ad vos tandem me converto, juris Romani et Hodierni ſtudioſi, commilitones et amici! ita enim vos compellare, me et juvat et decet. Namque a praeceptoris ſeveritate aetas mea pariter et ingenium abhorrent. Ipſe liberali inſtitutione uſus, novi quam parum iſta ſeveritas ſit ad juvenum animos cuicuimodi disciplinae conciliandos idonea, quam vero efficax ſit ad ejus commendationem facilitas et familiaris conſuetudo. Quare obſecro vos, ut ad me tanquam ſodalem et ſi velitis amicum viae ducem, non vero tanquam ad auſterum magiſtrum accedatis. Doctrinam tractamus gravem latisſimeque patentem, asperam vero aut jejunam minime. Ita vero eam adgrediamini, ut in quo principium omnis eruditionis poſuistis, antiquarum ſtudio literarum, id nunquam vobis poſtea excidat. Nam cum literis, medius fidius, nostra disciplina arctisſime eſt conjuncta. Cujus ego vos eo lubentius admoneo, quia habetis quem ſequamini

in illo genere doctorem, cum paterna inſtitutione tum ſuâ ſcribendi elegantiâ, commendatum et probatum. Ejus lectiones Graecas, Latinas, Historicas ſtudioſe audiatis: ita profecto in jure discendo omnis difficultas, ſi qua ſit, evaneſcet. Omnia ſtatim vobis plana erunt, et jucunda, et fructuoſa. Caeterum res ratione non eget ad perſuadendum. Facitis quod opto, et in poſterum quoque facietis libenter. Agite dum amici, ſtadium indefeſſi percurramus, quod humanitatis est, virtutis, gloriae!

Unum mihi reſtat, A. A. H. H. (ut jam dimittam hanc concionem), vobis univerſis agere gratias. Benevolis auribus mihi dicenti interfuiſtis; ſed eâdem etiam benevolentiâ et facili judicio me proſequi pergite. Non ego neſcio, quam gravi de re et quam tenui facundiâ dixerim, nec quam ſint ab aliis haec ornatius ſaepe et copioſius tractata. At quod in dicentis facul-

ta-

tate requiritis, id liberali, quaeso, conatui ejus et placendi certe studio, condonetis. Vobis in primis me meaque commendo, cives Daventriae, quibus ego (honoris causa dico), jam civis optimo jure accenseor. Quod potero faciam, ut vestros mihi animos conciliem. Vobis ita vitam tranquillam et jucundam me debiturum intelligo. Vestris etiam suffragiis incendar maxime, ut hujus Athenaei emolumento omnes animi mei vires voveam.

Te vero, Deus Optime Maxime, ut proposito meo adsis, et munus quod tuis auspiciis suscipio feliciter explere possim, etiam atque etiam precor.

D I X I.

